

CAPUT VIII

1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer, et jam me nemo despiciat.
2. Apprehendam te, et ducam in domum matris meae: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.
3. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.
4. Adjuro vos, filiae Hierusalem, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.
5. Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum; sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.
6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus sicut lampades ignis atque flammaram.
7. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.
8. Soror nostra parvula est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est?
9. Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis Cedrinis.
10. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.
11. Vineam fuit pacifico in ea, quae habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.
12. Vineam meam coram me est, mille tui pacifici, et ducenti iis, qui custodiunt fructus ejus.
13. Quae habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.
14. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

PRIMA EXPLANATIO

Quanquam haec capitum notis separantur, tamen non a novo capite oratio ducitur, sed est cum superiore oratione conjuncta atque continens. Reddit enim hic sponsa causam propter quam ruri permanere una cum sponso tantopere cupiat, quod proxime superiori capite dixerat se velle atque cupere. Nam dicit se ad eam amoris magnitudinem jam

pervenisse, pati ut nullo modo possit sibi ullum amore, et complexibus vacuum praeterire tempus. Quare qua libertate puellae fratres suos germanos et infantes humeris palam circumgestant, et amplexu atque osculo fovent, quam illis copiam atque facultatem tribuit ipsa germanitas, fratrumque ipsorum puerilis aetas: item sibi in votis esse ait domi, forisque illius semper haerere lateri, semperque ex ipsius ore dulcia oscula legere, cunctis, qui id viderint, non solum non reprehendentibus, aut turpe ducentibus, sed faventibus potius, et approbantibus. At id quoniam neque pudor patitur, neque mos permittit luce palam in urbe fieri, quoniamque ipsa hominum societas multas quotidie affert causas, quae amantibus, quo minus continenter, sineque interpellatione se ament, solent esse impedimento; fatetur idcirco ruris ac vitae rusticae libertatis studio teneri se, et eam ob causam in rus vocasse virum suum: **QUIS MIHI TE DET, INQUIT, FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEAE, UT INVENIAM TE FORIS, ET DEOSCULER, ET JAM NEMO ME CONTEMNAT.** Idque dicit, non tam interrogans alium, quam exoptans. Nam hebraicus sermo hoc potissimum loquendi modo in optando uti solet. Optat autem quid? Uti illo ut fratre minimo, atque pusillone. Cujus vero causa? Nullus ut se pudor, aut honestatis, et hominum judiciorum respectus a deosculando prohibeat. At prohiberi se atque impediri, cur moleste fert? Quia gradibus jam ad summum amorem ascendit; et quia infinitum est, quod amat, uni amori vacare studet. Sed cur hic potissimum ista commemorat? Quia reddere causam vult, quare, quod statim superius dixit, cuperet hominum coetus, atque urbes fugere, quod sibi, scilicet, hunc amoris perpetuum usum, atque fructum eriperent. **QUIS MIHI TE DET FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEAE?** Id autem est, ut quod attinet ad amorem, atque osculis vacandi libertatem, te perinde uti possim, tanquam puero, ac mihi ipsi fratre germano, et ut quomodo cum illis agitur: **INVE-**